

Luria publica Graves 7614
IOACHIMI FORTII
Ringelbergii Antuerpiani Rethori-
ca, nunc demum tersissime emen-
data, & obseruationibus quibusdam
illustrata, Per Antonium Anglum.



P A R I S I I S.

Apud Ioannem Macæum, In claustro
brunello ad insigne scuti Britanniae.

1536.

mcg 18557.2

STUDIOSAE IVVENTUT

En tibi studiosa iuuentus : rurso
prodit Ioachimi rethorica , v
rum longe emendatiusquam an
tea, ut nihil sit, quod in ea desis
deres. Hac vero,citra tedium vi
lum(tanta lucet breuitate) rationem dicendi
pro voto assequi poteris. Age igitur , datoque
operam, ut huic nostro labori tuus candor res
pondeat:& tantisper vigiliis, professorum op
timarum artium , candidatorum que politioris
literaturæ fruere,dum illi vel sua postponunt,
ut tibi cumulatissime satissiant. Bene vale.

Ad autorem defunctionem qui dum vis
ueret claudus erat carmen

Antonii Angli,

Te tardum pedibus (testes sunt lumina) vidi:
Pensauit tardos iam tua fama pedes.
Illa celer currit mundi per deuia: sic tu
Corpore non visus, nomine visus eris.

lato doctrinæ dicendi que, iniqui absoletum, ut deinde ac
causus art est, beneficiorum sacra, quam hic appellat & exhorta
causus est, benedicere, hoc est, quæ ame dicimus, et quæ cetero
vices appellan, cuius artifex ex oratoris et rhetorice miscipatur qui tam
vix agit, non qui praecedit, sed prout nec nominatur, tamen
et ac

OACHIMI FORTII

Angelbergii Antuerpiani Rheto
rica, Petro Stellæ legum professori peritissimi
deuota.

Rhetorices, ac oratoris
descriptio.



H E T O R I C E N vocant be
ne dicendi scientia. Distat à dia-
lectica, quod neroos omnes, &
robur orationis totius petimus à
dialecticis, ornatum à rhetorics.
Aut quod dialectice tanquam primas causas li-
neas dicit. Rhetorice viuos addit colores.
Orator est vir bonus dicendi peritus. Ab Rhe-
tore & declamatore distat, quod orator dici-
tur, qui causas veras agit, quales fuere Cicero
ac Demosthenes. Rhetor vero, professor Rhē-
torices. Declamator, qui causas fictas agit ex-
ercitiis gratia. Item orationes, oratoris sunt, vt
orationes Ciceronis ac Demosthenis, decla-
matiōes, declamatoriis, vt declamatiōes Quin-
tiliani. Dicere hic vocamus, apte, copiose, & di-
stincte loqui. Proinde in hisce rhetorices prae-
ceptionibus hunc scrutabimus ordinē. Primum
caussarū genera distinguuntur, Inde tradentur
inventionis, siue orationis partes, Exordium,
narratio, diuisio, confirmatio, confutatio,

Cic. in
Orat.
Quintil.

lib. 12.

Diff. ora-
tor decla-
matoris
& Rheto-
ris.

Operis di-
stributio
sed orationis di-
mitionis pan-
quis orationis incomodo
rhetorices.

IOA. FORTII RING.

conclusio, non prætermisssis in conclusione adfectibus. Postremo sequentur reliqua quas quor oratoriis officia, dispositio, eloquutio, memoria, pronunciatio.

De tribus caussarum generibus.

Quo facilius intelligamus caussarum genera, dicendum quid propriè caussam vocemus. Hæc aliquando significat id, ex quo, propter quod, per quod, siue à quo aliquid fit. Eiusmodi caussæ quatuor sunt: efficiens, materia, forma, finis: quas in dialectica descripsimus. Sæpen numero ponitur pro ratione, ut apud Ouidium, Tempora cum caassis latium digesta per annum,

Caussa,
forensis

Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.

actio

Interdum accipitur pro actione omni, quam in foro, aut in senatu habemus. Sic dicimus tria esse caussarum genera: demonstratum, deliberatum, & iudiciale. E quibus tamen magis proprie caussa vocatur, quæ iudicialis est.

repetitoria

Demonstratum genus est, quo laudamus, visuperamus, narramus, aut docemus aliquid. Ita dictum, quod demonstrat, quale aliquid sit. De liberatum siue suasorium, quo quicquam suasdemus, aut dissuademus. Iudiciale, quo accusamus vel defendimus in iudicio aliquem. In demonstratio genere versatur Plinii iunioris ad Traianum Panegyricus. In suasorio, solis

plorosus

formam habet

ratiuum et ratiuum

es fullos et pro

cerius

conscriptuum

panegyris a meratis anno te sat
tus degrevi, ab omnibus reb
plici de panegyris dicitur

R H E T O R I C A .

apud Ouidium oratio, qua Phaëtonta deters
ret à quadrigis: In iudiciali, qmnes fermè tum
Ciceronis, tum Demosthenis orationes. Item ad demonstratiuum genus referendæ descri-
ptiones personarum, regionum, prædiorum, ar-
tium, fontium, hortorum, montium, monstro-
rum, tempestatum, itinerum, conuiuiorum, ædi-
ficiorum, pomparum. Ad suasorium, concilia-
tio, reconsiliatio, exhortatio, dehortatio, sua-
sio, dissuasio, consolatio, petitio, commédatio,
monitio. Ad iudiciale, accusatio, querela, de-
fensio, expostulatio, expurgatio, exprobratio,
comminatio, deprecatio. Demonstratiui gene-
ris finis est honestas: deliberatiui, utilitas: iudi-
cialis, æquitas. Hæc tria genera ita discernuntur.
Res aut futuræ sunt, aut factæ. De futuris
deliberamus. Factæ. vel in iudicium vocatur,
vel extra iudicium docentur, narrantur, laudá-
tur, vituperātur. Vel sic, Omnis causa vel ver-
satur in iudicio, vel extra iudicium. Si in iudic-
cio, Iudicialis est. Si extra iudicium, aut tractat
res præteritas, aut futuras. Si præteritas, demó-
strativa est. Si futuras, deliberativa. Nam de
futuris consultamus, non de præteritis. De de-
monstratiuo genere plura dicenda.

De genere demonstratiuo.

a iii

IOA. FORTII RING.

DId triplex est, dialecticon, historicon, laudatium. Dialecticon est, quod cuiuscunq; thematis aut simplicis aut compositi naturā demonstrat. Idem & dialecticon & methodicon appellatur, Ut quum sermo est de mundo, de Deo, de homine. Aut quum inquirimus an prudenter virtus sit. Hæc omnia ad dialecticos locos pertinēt, ac ideo inde nomen habent. Eo genere scripta sunt Officia Ciceronis. Historicon, quo res gestæ describūtur. Laudatium triplex est. Laudatur enim vel personæ, vt Caesar, vel facta, vt Sceuolæ factum. vel res, vt pie eto latiss. tas, iusticia, fortitudo.

T. Liviis condita.	Thematis
z. ab vr. Epidictis	Dialecticon, simplicis.
Item Vacon. i.o.	Compositi.
Maxi.ca. stensiuū,	Historicon
de patien- fice des-	Personarum
causia, n. Exempl. tōstrati	Factorum.
u. libro 3. cap. Genera uum.	Rerum.
ius err. appelli caussarū	Suasio
tria sunt.	Delibera-
	tiuum.
	Dissuasio
	Accusatio
Iudiciale	Defensio

artis propriis ceteris aliis, ut
compositio orationis, & tempora
modus, artisordo, &c. utrumque exordium, dein narratio, & cetera
RHETORICA. autem seorsim ad causas temporis
et ceteras, & narratio in causam causae, non apparet.

De officiis oratoris.

QVINQ; sunt officia oratoris, inuenire,
disponere, exornare verbis & senten-
tiis, ediscere, ac pronunciare, vel age-
re. Inuentio, est excogitatio rerum verarum aut
verisimilium, quæ caussam probabilem reddat. In hoc tangit
Oratorum potest
inveni quid ex
obstaculo, illuc
yissimilium
Dispositio, est apta rerum atq; argumentorum
omnium collocatio. Elocutio, est idoneorum
verborum & sententiarum ad inventionem
accommodatio. Memoria, est firma animi res-
rum & verborum dispositionis perceptio. Pro-
nunciatio, est vocis, vultus, ac gestus moderatio,
cum venustate & gratia. Eadem Cicero in
libris de oratore hisce verbis enumerat. Quin-
q; faciunt quasi membra eloquentiae, Inue-
nire quid dicas, Inuenta disponere: deinde
ornare verbis: post, memoriae mandare. Idem
alio loco. Si quis uniuersam & propriam ora-
toris vim definire complectiq; vult; Is orator
erit, qui, quæcunq; res inciderit, quæ sit
dictione explicanda, prudenter & compo-
site, & ornata, & memoriter dicat cum
quâdam etiam actionis dignitate. Prudens-
ter, ad inuentionem refertur: composite,
ad dispositionem: reliqua ordine ad alia. Om-
nis oratio constat rebus & verbis. In rebus hoc uerbi
ab cicero
a sustin-
tuendis
intuenda inuentio: in verbis, elocutio:

a iiiii. quod nā pates si
inuenire pro
yob: quo modo
vixit

IOA. FORTII RING.

in utroq; dispositio. Hæc memoria complectitur oratione: et actio sive pronunciatio commendat. Sunt & tria alia officia oratoris: ut proberet delectet, ut flectat. Probare (inquit Cic.) necessitatibus est: delectare, suavitatis: flectere, victoriae. Ad probationem pertinent confirmatio & confutatio: ad delectationem ornatus sermonis & elocutio: ad victoriam ratio affectuum.

De partibus orationis, sive inventionis.

Rationum quatuor sere species sunt.

O **C**ivilis, qua utuntur in concionibus qui administrat remp. Privata, qua pri uati inter se mutuo colloquuntur: Dialectica, qua compendio ii qui rogant, & respondent ad interrogata, differunt. Et oratoria, qua utuntur oratores, quum laudant, suadent, aut dissuadent, accusant vel defendunt aliquem. Huius sex sunt partes: exordium, narratio, diuisio, confirmatione, confutatio, conclusio. Quarum prima, auditorum animos conciliat: narratio & contentio docent: peroratio mouet. Ordo dictus naturalis est, & crebrior. Verum pro causa ratione varie potest immutari.

De exordio

E **X**ordium, est principium orationis, quo auditores facimus attentos, bene uolos ac dociles. Attentos facimus sex

RHETHORICA.

modis. Primum si pollicebimus nos de rebus magnis, nouis, inusitatis, verba facturos. Quēs admodum Vergi. Protinus aerii mellis cælestia dona Exequar, hanc etiam Mecœnas aspiz 4. georg. ce partem. Admiranda tibi leuum spectacula rerum, Magnanimosq; duces, totiusq; ex ordine gentis Mores, & studia, & populos, & prælia dicam. Hic poeta scripturus de apibus, gentium mores, studia, populos, atq; prælia pollicetur. Secundo, si rogambius ut attēte audiāt Id frequens apud Ciceronem, & in prologis comœdiarum. Virgil. in eodem loco. Hanc etiam Mecœnas aspice parte: Tertio expectas ^{hic modus} falso parte. Si paululum expectabimus cum grauitate quadam, & seueritate vultus antequam ordinamur. Ut apud Ouidium in oratione Vlysſis. Donec laertius heros Astigit, atq; oculos paulum tellure moratos Sustulit ad proceres, expectatōq; resolutus Ora sono. Quartο si pollicebimus nos dicturos breuiter solum ea, quæ putabimus quam maxime pertinere ad utilitatem causæ. Quinto, Si interdum aliquid falsi facetiq; narrabimus, quod ad audiendum excitet, & a tædio defendat orationem. Sexto, dubitatione, Si dubitare nos significabimus, quibus potissimum verbis rem tantam exordiamur: Ut, Dicturus de tā sublimi immensoq; & modum omnem cogitationis humanæ excedente mysterio, non video quibus verbis,

IOA: FORTII RING.

aut qua veneracione aptius rem tantam proſe-
quar. Arentio inter agendum renouari potest
ita: magna ſunt hæc, ſed lenia præ his, quæ nūc
dicturus ſum: Nunc ad iſum rei caput accē-
do. His longius fortasse ſum immoratus, cæ-
tera paucis ac dilucide expediam. Benevo-
lentiam captamus quatuor modis, a noſtra
perſona, ab aduersariorū, ab auditorū
perſona & à rebus iſis. A noſtra perſona
benevolentiam contrahemus, ſi noſtrum of-
ficiū ſine arrogātia laudabimus. Teren-
tius. Ego poſtquam te eimi à paruulo, vt ſem-
per tibi apud me iusta & clemens fuerit ſeruſ
uitus, ſcis: feci ē ſeruo vt eſſes libertus mi-
hi, propterea quod ſeruiebas liberaliter: Quod
habui ſummum preium, perſolui tibi. Vlyſ-
ſes apud Ouidium.lib. metamorphoſeou.13.
Neue mihi noceat, quod vobis ſemper Achiu-
Proſtit ingeium. Sed quia crebrius hac o-
ratione utemur, particulam eius apponam. Do-
nec Laertius heros

Aſtitit, atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoque resoluit
Ora ſono: neq; abeft facundis gratia dictis.
Si mea cum veſtris valuiſſent vota pelasgi,
Non foret ambiguum tanti certaminis hæz-
res,

Tuque tuis armis: noſte poteremur Achille:
Quē quoniā non æqua mihi, vobisq; negarūt

RHETORICA

Fata (manūq; simul veluti lachrymantia ter sit
 Lumina) quis magno melius succedet Achilli,
 Quā per quē magn⁹ Danais successit Achilles:
 Huic mó ne proſit, quōd, vt ē, hebes cē videt,
 Neue mihi noceat, quod vobis ſemper Achiui,
 Profuit ingeniū, meāq; hac facūdia, ſi qua eit
 Quæ nūc pro dnō, pro vobis ſāpe loquuta ē.
 Inuidia careat, bona nec ſua quisque recuſet.
 Nā genus & proauos, & quæ nō fecimus ipſi,
 Vix ea noſtra voco. ſed enim quia rettulit Ajax
 Eſſe Iouis pronepos, noſtri quoq; ſanguinis au-
 Iuppiter ē, totidēq; gradus diſtam⁹ ab (thor
 Ab aduersariorū perſona, ſi eos in odiſ (illo.
 um, in inuidiam, in contemptionē adducemus.
 Sic benevolentia Cicero captat in præfatione
 ad Herennium. Quas ob res (inquit) illa quæ
 Græci ſcriptores inanis arrogantiae cauſa ſibi
 aſſumpſerunt, relinquimus. Nam illi ne parum
 multa ſcīſſe viderentur, ea conquisuerunt quæ
 nihil ad propositū attinebant, vt ars diſſicilior
 cognitu putaretur, &c. Ab auditorū perſona: ſi
 illos, aut illorum dicta, aut geſta laudabimus.
 Velut apud Terent. in And. Propterea quod
 ſeruiebas liberaliter. Cæterū in Iudiciali gene-
 re, vbi maxime ad victoriā tendit oratio, luſ Hoc ge-
 dicis laus accōmodari debet ad vtilitatē cauſe
 ſæ, vt allegemus pro honestis, dignitatē illi ſuā
 pro humilibus iuſticiā, pro laſiſ ſeueritatē, pro
 infoelicibus misericordiā. Iccirco Cīc. Ligariū Cic. in
 exuſter defendens, & veniā petens, nō aquita- Orato.
 tem, nō doctrinā, aut alias dotes, ſed ſolū mi-

IOA. FORTII RING.

sericordiam laudat Cæsar. Nulla de virtutibus suis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est. Hoc enim ad deos nulla re proprius accedit, quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut possis: nec natura tua melius, quam ut velis conseruare quamplurimos. A re ipsa, si rem de qua dicturi sumus, auditoribus fore frugiferam adfirmemus. Hoc modo faciemus & attentos & benevolos. Attentos, quia res futura est utilis. Benevolos, quoniam studere videntur illorum cōmoditati. Quippe nisi fueremus, nō traderemus, quod illis foret utile.

Docilitas Dociles tribus modis. Primū, si summam causae breuiter exponemus: vel si dicamus quid, aut quo ordine simus scripturi: ut omnes poetæ, quando proponunt. Homerus: Virum mihi dic musa prudentem. Vbi se verba facturum de Vlyssle pollicetur. Ovidius in Fastis: Tempora cum causis Latium digesta per annum, Lapsaque sub terras, ortaque signa canam. Deinde si ante omnia diluamus eam partem, quam nobis putamus maxime ostenturā. Ovidius in oratione Vlyssis: Neue mihi noceat, quod vobis semper Achii profuit ingenium: meaq; hæc facundia, si qua est, Quæ nunc pro domino, pro vobis sœpe locuta est, Inuidia creat. Ajax antè sua oratione persuaserat, Vlyssi non habendam esse fidem, quod facundia fa-

RHETORICA.

cile falleret auditores. Id hisce verbis diluit
Ulysses, docetque iniquum fore, si facultia,
qua toties profuerat Græcis, sibi nunc officiis
at. Quare auditores, qui ante instituerant non
habendam esse fidem orationi, dociles facit, &
aptos, siue promptos ad audiendam ac cognoscendam caussam. Denique, si interdum repe-
mus, quæ non satis percepisse eos, qui cognoscunt, putabimus.

Exordiorum species.

DVO exordiorum genera sunt, Principium & Insinuatio. Principium vocamus, quando auditores facimus attentos, benevolos, atque dociles aperte. Quale est illud apud Terentium, Ego postquam te emi a parvulo, ut semper tibi apud me iusta & clemens fuerit seruitus, scis, feci e seruo ut essem liberatus mihi, propterea quod seruiebas liberaliter, quod habui summum precium persolui tibi. Sic Cicero in Catilinam. Remp. Quirites, vistamque omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberisque vestros, atque hoc domiciliū clarissimi imperii, fortunatissimam, pulcherrimāq; urbem, hodierno die deorum immortalium erga vos summo amore, laboribus, consiliis, periculisque meis, ex flamma atque ferro, ac penè ex fauibus fati, erectam, & vos

IOA. FORTII RING.

bis conseruatam ac restitutam videtis. Vt ratione
bique aperte ab officio suo benevolentiam ca-
ptant. Insinuatio vero est, quando haec eadem
præstamus, hoc est, attentos, benevolos, & doci-
ciles facimus, sed occulte, aut lachrymis, aut
alia quapiam ratione. Nam ab iratis si perspi-
cuerit pax & benevolentia petatur, non modo
ea non inuenitur, sed augetur atque inflamma-
tur odium. Insinuationis exemplum longe ele-
gantissimum est in oratione Ulyssis, cuius ini-
tium supra adscriptum. In ea attentos facit
expectatione: benevolos lachrymis: dociles, di-
luendo id, quod Ajax de facundia Græcis per-
suaserat. Cæterum, ut constet quando extendū-
sit principio, quando insinuatione: alia ratione
distinguenda cauſarum genera.

Alia cauſarum diuīſio.

Dicitū est prius tres esse cauſarū formas,
sive tria cauſarū genera, Demōstratiū
ac deliberatiū, Iudiciale. Cuiusq; illorū quinq;
adhuc genera sunt, Honestum, Turpe, Dubiū,
Humile, Obscurum. Honestū cauſæ genus vo-
cant, quando id laudamus, suademus, defendi-
mus, quod ab omnibus videtur laudandū, sua-
dendū, defendendū. Ut quū laudamus fortitu-
dinē, quū hortamur ad pacē, quū pro patre ad-

RHETORICA.

uersus latronem dicimus. Turpe quum aut ho-
nesta res oppugnatur, aut defeditur turpis: Ve-
si quis dicat aduersus patrem pro latrone. Dus-
biū est, quando habet in se causa, & honestas Mixtum.
tis & turpitudinis partem. Ut si quis dicat pro
patre latrone: Turpe ē enim defendere latro-
nem: pulchrum defendere patrem. Humile,
quum cōtempta res adfertur. Obscurum, quum
causa intricata, obscura haud facilis intellectu
est. Nunc, qua nam ratione ordiendum sit in Sunt qui
singulis causarum generibus, dicendum. Quan addat ad-
do res seu causa honesta est, vti licebit princis-
mabile. pio, nisi auditores sint vel defesii audiendo as-
ertos: vel persuasi ab aduersariis. Quando causa
la turpis erit, vtendū insinuatione. In gene-
re dubio vtimur principio. Sed ante omnia dis-
luemus partem, quae habet turpitudinem, ne ea
nobis oblit. In genere causæ humili, maxime
faciemus attentos. Ut Vergilius: Protinus aesi-
rii mellis cælestia dona Exequar. In obscuro, Hoc fiet
dociles.

Quando non licet principio vti.

Tria sunt tēpora, quibus principio vti
non licet, quando causa turpis est.
quando adiutor persuasus est ab his,
qui ante contra nos dixerūt, & quum idē defes-
sus est eos audiēdo, qui āte dixerūt. Quādā caus
a turpis est, vt emur insinuatiōe. Quādā adiutor

IOA. FORTII RING.

persuasus est ab his qui contra nos dixerunt,
et adiutorium a dicto aduersarii, quod postremo lo-
co dixerit, vel ab eo quod firmissimum sibi
adiumentum fore putauerit, ut in Vlyssis ora-
tione. Neque mihi noceat, quod vobis semper
Achiui Profuit ingenium, meaque haec facun-
dia, siqua est, Quæ nunc pro domino, pro
vobis saepe locuta est, Inuidia caret. Hoc loco
Vlysses orditur ab eo, quod aduersarius Ajax
putauerat sibi fore firmissimum adiumentum.
Quando auditor defessus est, ordiemur a fabu-
la, apoloigo, aut aliqua re, quæ risum moueat.
Sic Cicero quum diceret, vidi generum suum
homunculum prætereuntem, magno cinctum
gladio, Dii boni, inquit, iudices, quis alligauit
generum meum gladio? Posset & hoc narrari
inter dicendum. Roganti imperito cuidam or-
atione, num oratio bene mouisset ad commis-
sionem, Catulus respódit: Profectu nemo
tam durus fuit, cui oratio tua non sit vila miser-
abilis.

De inuocatione.

Ratores aliquando in exordio inuo-
cant more poetarum. Ut Demosthe-
nes in oratione aduersus Aeschinem
pro Ctesiphonte: Primum quidem, viri Athe-
nienses, deos atq; deas omnis precor, ut quæ

RHETORICA.

tu benevolentiae ipse semper habui & erga hac
urbem & erga vos, tantum mihi nunc a vobis
praestetur in praesenti certamine.

De exordiis vitiosis.

Hee utra us*t*

*qui s. fabius
vixit usq. ad
ordine illi auct.
oratione V* Itiosa exordia quatuor sunt: apparatum, Cic. in ac
commune, longum, & contra præce*te veteris
pta. Apparatum nuncupamus, quod
nimium splendide vel affectate compositum
est. Commune, quod pluribus causis potest ac
commodari. Longum, quod pluribus verbis co
positum est, quam causa requirit. Contra præ
cepta, quod præcipue dociles facit, quum opus
est benevolentia, aut attentione: & quod neq;*causae post
attentos, neque benevolos, neque dociles es
cit auditores.**

De narratione.

*Arratio, est rei factæ aut non factæ
N* utilis ad persuadendū expositio. Narrationum duæ species sunt. Altera ipsius causæ, quum exponimus rem gestam, & omnia trahimus ad utilitatem nostrā vincendi causæ. Id sit quinque modis: partitione, præparatione, eleuatione, exaggeratione, admonitione. Partitio in narratione tedium laevat, vt. Quintil. dicam iudices, quæ acta sunt ante rei contras

IOA. FORTII RING.

Etum: quæ in re ipsa, item quæ postea, & audi-
tis iudices, quæ acta sunt, ante rei cōtraclum,
nunc audietis, quæ in re ipsa. Præparatio, est
quando quicquam addimus de nostro, quod fa-
ciat ad vtilitatem caussæ. Ut in oratione pro
Ligario: Ligarius profectus est in Aphricam,
quum esset adhuc nulla belli suspicio: Hic eum
profectum esse in Aphricam, ad veram rei na-
rationem spectat: Cæterum, quod tum nulla
suspicio belli fuerit, id Cicero adiecit de suo,
Narratio idque postea approbauit. Idcirco narratio, cō-
confirma- firmationis propositio est: & confirmatio, nar-
tionis pro- rationis probatio. Narratio quippe, sèpenu-
positio & mero ea proponit, quæ postea confirmabis-
materia. mus: & confirmatio ea probat, quæ ante
sunt narrata. Eleuatio, est rei vel criminis de-
pressio sive diminutio. Sic luxuria, hilari-
tatis: auaritia, parsimonia: negligentia, sim-
plicitatis non sine lenietur. Exaggeratio con-
traria est eleuationi. Admonitio. Cicero:
Adhuc Ligarius omni culpa vacat. Admonet
Cæsarem, nendum dictum esse aliquid dis-
gnum accusatione. His quinque formis narra-
tio ad victoriam tendit.

De digressione.

RHETORICA

pariculis suis
rehabere, et a libro
et sed ad utilitatem

Altera narrationis species, est rerum ad causam pertinentium. quae à Græcis paucis recibus, à nostris digressio nuncupatur. Ea fit lib. 4. causa transitionis, exornationis, laudationis, criminationis & descriptionis locorum, quæ topographiam nominant. Transitionis, quo cōmodius transeamus ad rem aliam. Ut in Metamorph. Lib. I. Ouidius, quum narrasset fabulam Daphnes, quo pacto erat mutata in laurum. uti comode transiret ad fabulam Ius. omnia flumina conuenisse memorat ad patrem Daphnes consolationis causam, præter patrem Ius, qui domestico impeditus erat luctu propter filiam quæ conuersa erat in iuuencam. Quod itaque dixit confuxisse illuc fluuios, digressio est, Quæ nihil quidem ad institutum, hoc est, rerum metamorphosis pertinet, nisi quod fabulas connectit. Exornationis. Ut apud Vergilium, ubi describit tempestatem, qua coactus est Aeneas in Aphricam. Laudationis, Velut apud Ciceronem pro Cornelio Balbo, ubi digreditur ad laudes Pompeii. Criminationis, Quum aliorum criminis eleuamus, quo aduersari vis deatur grauius. Locorum descriptionis, Sic Ouidius in formarum mutatione describit Parnassum montem, in quo seruati erant Deucalion & Pyrrha his verbis:
Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis'

1. Metamorph.

IOA. FORTII RING.

Terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo
Pars maris, & latus subitarū campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnasus, superatq; cacumine nubes.

De circumstantiis.

Ad narrationē pertinent circumstantiæ, quarū duo traduntur genera. Aliæ namque rerum sunt, ut caussa, locus, occasio, instrumentum, tempus, modus. Aliæ personarum, nam Ad ampliatio, patria, sexus, aetas, educatio, disciplina, hasficandum bitus corporis, fortuna, animi conditio, studiū viles circum, consilium. Harum usus plurimum confert cunctatiæ ad amplificandum. Ut si rem ē sacro loco furatam esse dixeris quenquam, plus est, quam si solum esse furatum dicas.

De diuisione.

Ita nun-
cupatur
quod dis-
vidat seu
distin-
guat caus-
fam vel
orationē
Duisio est, per quam aperimus quid conueniat nobis cum aduersariis, quid sit in controuersia, & per quam exponimus quibus de rebus simus dicturi. Eius duæ sunt partes. Altera, qua dicimus quid nobis cum aduersariis conueniat. Hac solum utimur in genere judiciali. Exempli gratia. Absoluta narratione hoc modo caussam diuidere Orestes potest. Interfectam esse matrem à me, conuenit mihi

R H E T O R I C A .

cum aduersariis : verum id factum esse injus-
ste , pernego . Altera , per quam exponimus ,
quibus de rebus simus dicturi . Hac utuntur in
omnibus causiarum generibus . Posterior pars ,
in duas rursus species diducitur , enumerationē
& expositionem . Enumerationē est quando res
plures ac diuersas , de quibus dicturi sumus , enu-
meramus . Ut dicam primum de prudentiā ra-
tione , inde de iustitiae dignitate , tum de fortis-
tudine , postremo de temperantia , vt lib . I . Ge-
orgic . Vergilius .

Quid faciat laetas segetes , quo fidere terram
Vertere Mecōnas , vlmīsq ; adiungere vites
Conueniat , quæ cura boum , quis cultus haben-
do

Sit pecori , atque apibus quanta experientia
parcis ,

Hinc canere incipiam .

In enumerationē seruandum , vt partes omnes
eo ordine exponamus , quo usi fuerimus in dis-
uisione . Quod scite seruauit in Andria Teren-
tius . Enumerationē est , Eo pacto & gnati vitam ,
& consilium meum cognosces , & quid facere
in hac re te velim . Tria recenset de quibus ver-
ba facturus est . Ait se dicturum de gnati vita:
tum de suo consilio , quare falsas finxerit nu-
ptias : denique quid Sofiam velit facere . Hæc
ordine eodem sic explicat . Primum Pamphili
memorat vitam . Nam is postquam excessit

Cic . I . ad

Herenni

um .

IOA. FORTII RING.

ex ephebis Sosia. Inde suum consiliū, circa sc̄e
næ finem, Nunc id operam do, ut per falsas nu
ptias vera obiurgandi cauſa sit, si deneget. Po
stremo, quid facere Sosiam velit, Nunc tuum
est officiū, has bene ut ad similes nuptias, per
terrefacias Dauum. Ad hunc modum, artificiū
& dialecticas, & Rhetorices in autorū lectio-
ne perquirendum. Expositio est quando sine
numero breuiter exponimus, qua de re, vel qui
bus de rebus sumus verba facturi. Ut quum de
Dei aeternitate, de dignitate virtutis, de apum
natura dicturos nos esse pollicemur.

Ois divi = etiam dociles facit, tametsi ad exordium solū
sio habet id plerique putant pertinere. Etenim per tos
in se doci tam orationem data occasione facere licet at/
litatem. tentos, benevolos ac dociles, sed maxime in
Quintil. exordio. Sic Cicero in peroratione pro Ligas
lib. 4. rio, benevolentiam captat Caesaris his verbis:
Nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratiō,
nec admirabilior misericordia est. Nihil ha-
bet nec fortuna tua maius quam ut possis, nec
natura tua melius quam ut velis conseruare
quamplurimos. Quidam diuisionem inter ora-
tionis partes non numerant, quod paucissimis
semper verbis absoluatur. Horum si quis velit
iudicium sequi non repugno. Ceterum diu-
sionem, siue partem, siue distinctionem duntas
xat orationis voces, cauſa tamen ipsa deesse
non debet. Hæc porrò duplex est, Orationis,

RHE TORICA.

ut dicam de iustitia, & quid sit, & quod habeat partes. Et thematis: ut partes iustitiae sunt natura, consuetudo, lex.

De confirmatione & confutatione.

A quītil.

Onfirmatio, est oratio quā nostras probatio
C argumentationes probationēsve cū appellat
assueratione, hoc est, cum instantia
tia vocis & vultus exponimus. Ut quis tā cæs
cus est, qui hoc non videat: quis tam impudēs,
vt neget: Itē stultus est, quā vē refelli debeat.
Et: perfrīca frontem, aude negare. Quoniam
plerique adeo tepide dicunt, vt res etiam vera,
vix videatur verisimilis. Confutatio est con-
trariarum argumentationum dissolutio. Hanc
analceuen, illam cataisceuen Græci nuncupant.
Confirmare autem & confutare facile poteris
mus, si causa constitutionem cognouerimus,
Ergo de statuum natura atque generibus nō
nihil dicendum.

A quinti.
refutatio
& a Cice.
aliquādo
reprehē
fio.

De Statu.

Tatus, vel constitutio, aut, vt Græci
S inquiunt, stasis, est causā vel rei sum-
ma, ad quā omnia oratiōis argumēta
referūtur. Neq; solū in iudicali genere, sed in
aliis quoq; causis, status. In deliberatio coīti
tutio ē. Sit ne vtile, honestū, licitū: Aut ex Stoī

In oībus
caussis
status.

IOA. FORTII RING.

corum sententia, expeditat ne. Hi enim negant quicquam esse utile, quod non simul esset honestum. In gratulatione, An illius praesenti commodo laetemur. In gratiarum actione: Sit ne hic illi huius meriti causa gratus. In consolatione: Sit ne huic dolendum huius rei amisit causa. Historiae etiam & poemata questio nem habent & statum. Ut apud Salustium in bello Iugurtino, quomodo pugnatum sit cum Iugurtha. Apud Homerum in Iliade: quomodo Græcia ad Troiam bellauerit. In Odissea, quo pacto Ulysses in patriam redierit. In Aeneide Vergilii, quo pacto Aeneas in Italiam venerit.

Quid sit status in genere iudiciali.

¶ Status in iudicali genere, est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta: Vel, est questio aut oratio, quæ oritur ex intentione accusatoris, & responsione defensoris. Ut occidiisti Aiacem, non occidi. Unde existit questio occiderit ne Ulysses Aiacem. De hac constitutione, eiusq; speciebus ac partibus, ideo tam accurate Cicero prescripsit, quod versabatur in iudicio. Sic videm omnes pene Ciceronis de Rhethorica arte præceptiones, accommodatas esse iudicali generi. Hæc in formas treis diuis

RHETHORICA.

ditur: conjecturalem, legitimam, iuridicialem.
Tria etenim sunt, quæ in omni disceptatione
quaruntur: an sit, quid sit, quale sit. An sit. Ut,
fecerit ne Clodius insidias Miloni. Sit ne inter
fectus Ajax ab Ulysse. Quid sit, Ut, sit ne sacri
legium an simplex furtum, si res sacra è loco
priuato ablata sit. Quale sit, iustum, an iniustum.
Iure ne Orestes occiderit matrem, an iniuria.
Quo circa hac ratione discernuntur, Ut si con
troversia de facto sit, conjecturalis appelletur:
si de nomine facti, legitima: si iure an iniuria fa
ctum sit queratur, iuridicalis.

De statu conjecturali eiusq; locis.

Conjecturalis status est, quum cōiectus
ris veritas exquiritur. Exemplum sit
huiusmodi.

Duo quidem simul in tabernam dierunt.
Caupo alterum eorum, quem grandem pecu
niam secum adferre deprehenderat, gladio al
terius nocte interfecit, pecunias abstulit, gla
dium in vaginam recondidit. Ille cuius gladio
alter occisus erat, summo mane gladium, & cæ
tera quæ secum attulerat, sustulit, solus profes
sus est. Non multo post, caupo clamitat ho
minem occisum esse. Et cum quibusdam dier
oribus eum qui ante exierat, consequitur, at
que comprehendit. Gladium è vagina educit,

IOA: FORTII RING.

reperit cruentum, peregrinus cædis accusatur.
¶ & causa conjecturalis est, quoniam factum
negatur, & conjecturis multis veritas indagans-
da est. Conjectura peti solet à persona, re, caus-
sa, loco, modo, materia, tempore occasione, fa-
cilitate. Persona triplex est, loquentis, audiens-
tis, aduersarii. Item in persona spectanda, nos-
men, natura, educatio, fortuna, affectio animi,
habitus corporis, studium, cōsilia. Nomen, Ut
si quis dicatur candidus, dicemus male appell-
ari candidum, quem præter nomen nihil has-
beat candidi. Si Innocentius, quod nihil sit eo
nocentius. Ad naturam referuntur, sexus, na-
tio, patria, ætas. Sexus, ut vir sit, an mulier. La-
strocinium enim facilius in viro: veneficium
in muliere credas. Natio, Sit ne Latinus, Ger-
manus, Hispanus. Latini namque superciliosi
sunt, Germani bellicosi: Poeni perfidi: Græ-
ci mendaces, sed amatores literarum. Pa-
tria, ut Romanus, Atheniensis. Aetas: Sit

Mollis: ne puer, adolescens, iuvenis, vir, an se-
ducatio nex: & quomodo in hisce vitæ partibus se
indulgen gesserit: Quoniam singulis sua natura est.
tia parétū Educatio, qua ratione, & à quibus sit educatus
& licētia Nam refert à quibus, & quo quisque modo,
præcepto nutritus sit. Fortuna: seruus ne sit, an liber: pe-
rū efficit cuniosus, an tenuis: priuatus, an cum potestas
quosq; na te: fortunatus, an infortunatus. Adfectio ani-
mabos mi: iracundus, petulans, libidinosus, an frugi-
nos dete-
riores.

RHETORICA

atatus, an liberalis. Habitus corporis. Corporis enim robur, pulchritudóque, & vénitum cultus, plerumque libidinis & petulanziae indicia sunt, Studium, est vchemens animi ad rem quampliam applicatio. Ut, sit ne orator, poëta, medicus, venator, sutor. Consilium est faciendi excogitata ratio. Videndum, quæ consilia ante rem sint habita. Hac tenus dicta ad personas referuntur. Sequuntur res liqua: res, causa, locus, modus, materia, tempus, occasio, facultas. Res est negotium ipsum, de quo agitur, Ut parricidium, sacrilegium, peculatus. Caussæ duæ sunt partes, impulsio & ratiocinatio. Impulsio, est temerarius animi impetus ad faciendum aliquid, aut non faciendum, Ut timor, furor, ira. Ratiocinatio, est quæ commodorum comparatione, aut incommodorum vitatione, ad rem hortatur. Ut si esse interfectum dicamus, gratia lucri aut hæreditatis. Locus, opportunus ab importunus: angustus, amplius, nemorosus: longinquus an propinquus, celebris an desertus, sacer an prophanus, publicus an prizatus. Modus, Clam an vi, palam an occulta, insciens an prudens, amore an odio. Materia, Fuste an gladio, arcu, veneno, incantatione. Tempus, Nocte an die. Occasio, est temporis cōmoditas, quæ ad rem aliquam hominem trahit in uitatque. Facultas, qua facile

IOA. FORTII RING.

onicquam esse factu docemus, Ut occidi à pluribus pauciores, à vigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes. Ex hisce locis coniecturas vel materiam captabimus, qua vel nos defendemus, vel aduersarios accusabimus. Exempli gratia. Ad hunc modum se defendere Catilina potest. A persona sua, Ea sum nobilitate, iisque parentibus iudices, vt talia de me sine testibus suspicari non debeatis. A persona audientis. Nam vestræ prudentiæ iudices est, eam potestatem talibus hominibus nō concedere, ne fictis argumentis nobiles homines circunueniant. Ab aduersarii persona. Atque ideo magis expellendus Cicero, quod mihi semper inimicus, infestusque nobilitati fuerit. Ab re. Non enim tanti sceleris suspicionem sine testibus approbare debetis. A loco. Præsertim in hac ren. in qua sanctissimæ leges summo studio semper conseruatæ sunt. A caussa. Iccirco etiam magis Cicero expellendus, ne si fictis argumentis locus dabitur, multos nostrum huius homines inuadere conentur. A tempore. His præsertim temporibus, quibus ignobilium animi in nobilitatem sunt accensi. Ea etenim licentia viuitur, vt nemo falsa crimina nou excogitet.

De legitima constitutione.

Constitutio legitima est, quum ex legis
bus & scriptis aliquid controversiae na-
scitur. Sic dicta est, quod se numero è legis-
bus oriatur. Ea sex partibus absolvitur, scri-
pto & sententia, contrariis legibus, ambiguo,
definitione, translatione, ratiocinatione. Ex
scripto & sententia controversia oritur, quum
inter litigantes, unus scripto, alter scripti sen-
tentia vtitur. Eiusmodi causæ constitutio est,
vbi in Philippica nona Cicero probat statuam
deberi Seruio Sulpitio, qui legatus missus ad
Antonium in legatione mortuus erat. Lex le-
gatis ferro interemptis statuam decernebat.
Hunc honorem Cicero volebat Seruio Sulpit-
io decerni, qui non ferro, sed legationis la-
bore occubuit. Ex contrariis legibus, quando
altera lex iubet aut permittit, altera vetat quic-
quam fieri, hoc est, quum accusator & defens-
or suam uterque legem habet, quæ selec-
tur. Ex ambiguo, quum scriptum duas aut plus
res res significat. Hoc se numero fit multis
plici potestate verboru, & accentu, & genere,
& numero, & aspiratione, & contextu oratio-
nis, & quibusunque modis significatio vers-
borum commutatur. Ut paterfamilias amico
taurum legavit. Post mortem eius amicus ser-
uum petit nomine Taurum, Hæres se bouem
debere dicit. Testamento quidam poni iussit
statuam auream, bastam tenentem. Vbi ambi-

IOA. FORTII RING.

gitur an statua aurea esse debeat, an hasta. Ex definitione causa constat, quum controversia est, quo nomine factum appelletur. Quidam furatus est rem sacram ex ædibus priuatis. Accusator sacrilegium esse adfirmat: reus, simplex furtum, quod ignorauerit rem esse sacram. Hic definiri debent sacrilegium & simplex furtum. In tralatione seu transmutazione, status consistit, quoties ab alia nos accusari debere dicimus. aut non nos sed alios. aut non apud hos iudices, sed apud illos. non hac lege, sed illa. non hoc crimine, sed illo. non hac poena, sed illa. non hoc modo, non hoc loco, non hoc querente aut agente, sed alio. Ex ratiocinatione controversia constat, quum res sine propria lege venit in iudicium, quæ tam ab aliis legibus similitudinem quandam aucupatur. Hæc in quinque distribui parteis potest. Prima. An quod semel ius est, idem & sapius. Ut furti damnatus adfixus est cruci, sedrupto sive delapsus, repetitur ad supplicium. Secunda. An quod in uno ius est, idem & in pluribus. Qui duos uno tempore tyrannos occidit, duo præmia petit. Qui Romæ tres liberos habebat, certa priuilegia & immunitates habuit. Quidam sex aut nouem habuit. dubitatio existit, vtrum duplum aut triplum habebit privilegium. Tertia. An quod ante ius fuit, etiam post sit. Mulier rapta habet optionem,

ut vel caput raptoris petat, vel connubium. Raptor fugit, interim rapta nupsit alii, revero raptore petit optionem mulier. Quarta. An quod in toto ius est, idem & in parte. Aras sum accipere pignori non licet, vomerem accepit. Quinta. An quod in parte, idem & in toto. Lanas eucchere Tarento non licet, oves vexit.

...6.

De iuridicali constitutione.

Iuridicalis constitutio est, quum iure iniuria factum aliquid sit, queritur.

In hac reus aut fatetur quidpiam fecisse se, quod vetitum sit, aut non. Illud assumpta uam: hoc, absolutam nominamus. Absoluta iuridicalis est, quum recte aliquid factum esse dicimus. Ut, quidam abdicare filium vult, quod philosophia operam dederit. Filius si recte id facere ait. Assumptua est, in qua, quum reus rem per se turpem fecisse constiteatur, re tamen assumpcta extranea iure factum defendit. Huius species quatuor sunt, criminis concessio, relatio, remotio, comparatio. Concessio est, quum reus petit sibi ignosci. Eius partes duæ, purgatio & deprecatione. Purgatio est, per quam eius, qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres: imprudentiam, casum, necessitudinem. Imprudentia dis-

IOA. FORTII RING.

citur, quum scisse se aliquid reus negat. Lege
Cornelia de sicariis, punitur, qui occiderit ho-
minem. Quidam dum avibus ruri insidiatur.
missa sagitta hominem in virgultis dormien-
tem interfecit. Per imprudentiam se excusat.
Simile est, si quis accusetur, quod ciuem Roma-
num occiderit. Casus est, quum demonstramus
aliquam fortunae vim voluntati obstitisse: Ut
in hac. Aliquis pecuniam certo die Ephesi sol-
uere promisit, adiecta poena, nisi tunc soluta
fuerit. Is profectus est domo eo tempore, quod
videretur satis ad eam profectionem futurum:
Aduersus tempestatibus usque usus ad consti-
tutum diem non venit. Excusat se per casum aut
fortunam. Item dux Romanus missus aduersus

De bello cymbriko lege latare lib. 3. tu nauis deprehensa sit, publicetur. Magna
exorta tempestate vis ventorum inuitis natu-
ris Rhodiorum in portum nauim coegit. De
precatio est, quum se peccasse consulto reus
confiteatur, tamen petit sibi ignosci. Hoc genus
vix in iudicium venire potest, ideo quod con-
Eadē Fas cessa culpa, difficile est ab eo, qui peccatorum
bi. li. 7.

RHETORICA.

esse vindex debet, ut ignoscat, impetrare. Fit tamen si pro eo dixeris, qui saepenumero ruerit de rep. bene meritus, qui ob salutem populi quandoq; se se in pericula coniecerit. Relatio criminis est, quum aliquid nos aliorum peccatis coactos fecisse dicimus. Ea est huiusmodi Horatius occisis tribus hostibus, & duobus amissis fratribus domū vīctor se receperit, Is annaduertit sororē suam de fratrum morte nō laborantem: sponsi autem nomē appellantem identidem, qui vñus ex hostibus fuerat. Indigne id passus virginem occidit. Ait se coactum esse iniquitate sororis, quod illa hostium mortem lugebat, fratru negligebat: deniq; se & populum Romanum viciſſe moleste ferebat. Remotio criminis est, quum culpam vel in hominem, vel in rem aliquam reiicimus. In hominē. Ut si accusetur is, qui consulū iussu Seruum Sulpitium seditiosum hominem occiderat. In rem: Hoc modo. Paterfamilias moriens seruo donauit libertatem ea conditione, ut mortuo sibi poneret æream statuam in foro. Quā mortuus esset paterfamilias, seruus ponere statuam voluit. Sed plebiscitum erat, nulli posse statuam poni, nisi consensu plebis. Seruus liberum esse se adfirmat: & quod statuam non posuerit, eam culpam in rem hoc est plebiscitum reiicit, Distat criminis remotio à relatione,

Vide Vā
le . Max.
III.6 cap.
seueriratē
& primū
Titi Liuii
dionis. ha
lyca.li.3 .

Liuius. li.

Quid ple
biscitum.
Gelli.li.9

IOA.FORTII RING.

quod illic penitus remouetur,hic,duntaxat ini-
nitur culpa.

Comparatio porro criminis est,'cum dicimus
necessse fuisse alterutrum facere,& id quod fes-
cimus utilius esse.Vt,Aulus Albinus à Iugur-
tha inclusus,cum effugere non posset,cum Iu-
gurtha in collocutionem venit,ita discessit,vt
impedimenta relinqueret,exercitum sub iugo
educeret. Satius esse duxit exercitum sine im-
pedimentis ducere, quam simul cum impedis-
mentis exercitum quoque perdere.

De iudicatione.

Vdicatio est quaestio quæ oritur ex ra-
tione defensoris,ac firmamento accu-
satoris.Ratio est quæ defensionem cō-
tinet,Quippe nisi attulerit rationem reus,nul-
la erit contiouersia. Firmamentum vel infir-
matio,est id quod adfertur ab accusatore con-
tra rationem defensoris. Quemadmodum ex
intentione accusatoris,& deputilione defen-
soris constitutio conficitur,ita ex ratione defen-
soris,ac firmamento accusatoris colligitur iu-
dicatio,hoc modo.Intentio,interfecisti matrē
Orestes.Depulsio.interfeci,sed iure.Status,ius-
ré ne id fecerit.Ratio.Illa enim patrem meum
occiderat.Firmamētum vel infirmatio, quan-
quam illa occiderat patrem,tamen tu filius no-

IOAN FORTII RING.

centem matrem interficere nō debebas. Iudicio,
Licuerit ne nocentē matrem occidere. In II.
Apud quosdam lex erat, ne quis Diana vitulū Rectoris
immolare. Nautæ quidā, quum aduersa tempe corū lib.
state in alto iactaretur, voverunt: si eo portu, Inuent.
quem conspiciebat, potiti essent, ei deo qui ibi
esset, se vitulum immolatros. Casu erat in eo
portu sanū Diana eius, cui vitulū immolari nō
licebat. Imprudentes legis, quū exissent, vitulū
immolauerunt. Accusantur. Intētio est: vitulū
immolasti ei Deo, cui non licebat. Depulsio
est in cōcessione posita. Ratio, Nesciuimus nō
licere. Infirmitatio: tamē quoniā factū est quod
nō licebat, ex lege suppicio digni estis. Iudica
tio: quūd fecerint quod nō oportuerit, & id
nō oportere nescierint, sintne suppicio digni.
In coniecturali causa iudicatio nihil differt à
constitutione. Ut, repertus est Ulysses apud
Aiacem interfectū in sylua, cuius capitalis ante
inimicus fuerat. Accusatio, Occidisti Aiacem.
Depulsio, Non occidi. Coniecturalis constitu
tio vel iudicatio, Occideritne.

Quid thesis ac hypothesis.

Quoniam de statuum siue thematum na
tura mentionem fecimus, prius quam
ad alia transeamus, dicendum quid Rethores
vocēt theses & hypotheses. Questionū formæ
duæ sunt. Aliæ quæ remotis personis, & tem
poribus, & locis, in utraq; partem traciātur.
Quintil.
lib. 3.

IOA. FORTII RING.

Hæ nominantur & theses, & quæstiones infinitæ.

actu Ut, a ducenda sit vxor. Aliæ quæ personarum, temporum, locorum complexu constant. Sit ne ducenda vxor Catoni. Quæ nunc hypotheses, nunc quæstiones finitæ vocantur.

De conclusione.

Conclusionem, siue perorationem appellant artificiosum terminum orationis, Vel postremam orationis partem, quæ breui Differen= argumentatione, ex iis quæ dicta sunt aut facta consilia, conficit, quod necessario consequitur. Conclusionis stat ab Epilogo, quod conclusio orationis, & epilo. enumeratio vero perorationis, interim etiam narrationis membrum sit. Conclusionis tres Tres par partes sunt, Epilogus, Amplificatio, Adfectus. tes cœolu Vel, quod idem est, enumeratio, indignatio, sionis. conquestio aut commiseratio,

De enumeratione.

Pro lege¹ Manilia. **E**pilogus, est breuis ante dictorum res petitio. Ut apud Ciceronem pro Pompeo, Quare videte iudices, num dubitans dum vobis sit, omni studio ad id bellum inscumbere, in quo gloria nominis vestri, salus so

R H E T O R I C A .

ciorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum republi. defenduntur. Et pro Archia poëta, Quare conseruate iudicem, hoc minem pudore eo, quem amicorum studiis visitetis comprobari, tum dignitate, tum etiam verustate. ingenio autem tanto, quâto id convenit existimari. Causa vero eiusmodi, quæ beneficio legis, autoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur.

De indignatione.

Amplificatio est, quoties rem aliquam grauiorem seu maiorem, quam est, efficiimus. Ut apud Ciceronem pro Ant. Cluentio, Quod hoc portentum dii immortales, quod tantum monstrum ullis locis, quod tam infestum scelus & immane, aut unde natum esse dicamus. Amplificamus quandoque commutato rei nomine. Ut si hilaritatem vocemus luxuriam, parsimoniam, auaritiam, simplicitatem, negligentiam. Item quum occisum eum dicimus, qui cæsus est latronem, qui est improbus, occidisse, cui res acerbior acciderit, exanimatum, dolore affectum, mutum, qui nihil respondet, reuixisse, qui spem recepit, carnificem, immis tem, sacrilegum, scelustum, veneficam, malam, scelus, monstrum, pestem, labem, sceleratum. Huc pertinent Acreus pro crudeli, Sardanapa

Vide
Quintil.
lib. 8.

IO A. FORTII RING.

In. 1. In. 2. In. 5. In. 2. Cicero pro Ligario.

Ins pro effeminato. Aut quū per collationem
In. 1. efferuntur quæ amplificant. Cic. in Verrē. Nō
actione. sacerdarem, sed raptorem, non adulterum, sed
expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum, sed
hostem sacerorum religionumq; non siccariū,
sed crudelissimū carnificem ciuium sociorū
que, in vestrum iudicium adduximus. Plin. in
Panegyrico de Traiano. Nō enim de tyrāno,
sed de ciue, non de domino, sed de parente lo-
quimur. Tertius amplificandi modus incremē-
tum dicitur, quum per gradus peruenitur inter-
dum ad summum, interdum quodammodo su-
pra summum. Ut, Facinus est vincere ciuem
Romanū, scelus verberare, propè parricidium
necare, quid dicam in crucem tollere? Quar-
tus, cum cursu quodam grauius semper ali-
quid insequitur. Ut, de vomitu in Antonium
Cicero. In cœtu populi Romani, negotiū pu-
blicū gerens, magister equitum. Quintum ge-
nus sinathrismon, id est, cōgeriem vocant, qua-
rem eandem aliis atq; aliis modis efferimus.
Ut, quid tuus ille Tubero districtus in acie
Pharalica gladius agebat? cuius latus ille mu-
cro petebat? qui sensus erat armorū tuorum,
quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi, quid
cupiebas? quid optabas? Amplificatio quoque
alia ratione in duas formas distinguitur. Aut
enim rem alterā eleuamus, alterā extollimus.
Aut alterius partis laudes sic amplificamus, ut

RHETORICA.

præferamus tamen id, quod laudandum suscepimus. Miosis contraria est amplificationi, quod
ties attigisse dicimus cum, qui pulsavit: læsic^{Miosis.} qui vulnerauit. Vtraque interdum hyperboleu-
sapit: ut pice nigrior, cæcitate cæcior: breuior
pygmeo, minus habet quam nihil.

De affectibus.

Affectus, est commotio quædam vel Lege ma-
perturbatio animi. affectum genera ^{crob. lib.}
his verbis enumerat Fabius: Ne que 4. satur.
miseratione solum mens iudicium: permouen- & quītil.
da est, sed etiam faciendū, ut irascatur, mitigez ^{lib. 6.}
tur: inuidet, faueat: cōtemnat, admiretur, odes-
rit, diligat, cupiat, satietate adficiatur, speret,
metuat, lætetur, doleat. Creberrima est cōnti-
seratio. Cicero pro Milone: sed finis sit, ne que
enim præ lachrymis loqui possum, & hic se las-
chrymis defendi vetat. Commiserationem cas-
ptamus his fere modis. Ab habitu personæ:
ut apud Vergilium. Obstupui steteruntque co- ^{In. 2. AE,}
mæ, & vox faucibus hæsit. Ab ætate, apud eun- neidos.
dem: Infelix puer atque impar congressus
Achilli. A fortuna. Ausoniisque olim ditissi- ^{In. 1.}
mus aruis. Hinc quoque indignationem

IOA. FORTII RING.

excitamus. Dido apud Verg. Et nostris illus^es
rit aduena regnis. A loco. Quum vitam in syl
uis inter deserta ferarum Lustra domosque tra
ho eodem pertinent figuræ quædam. Aporis
sis vel dubitatio : En quid ago, rursus ne pros
cos irriga priores Experiari? Ecphonesis aut ex
clamatio: dii talē terris auertite pestē . Aposio
pis: Quos ego: sed motos præstat compone
re flatus. Permissio: Pretermiseram animā , &
hoc corpus nihil relictum est, his vtere atque
abutere ut libet. Epimōe vel epizeuxis. O My
sis Mysis. O pater pater, quid agis? Vos vos ap
pello fortissimi viri. Criminis seu delicta cōf
fessio. Cicero pro Ligario. Erravi, temere feci,
prænitet ad clementiam tuam confugio , deli
cti veniam peto, ut ignoscas oro . Duplex est
adfectus: pathos quando auditorum animi ves
hementer concitantur: & Ithos quum leniter
sōium permouentur. Hoc comoediis, illud tra
gœdiis familiare . De iis, hæc sunt Ciceronis
verba: duo sunt, quæ bene tractata ab oratore
admirabilem eloquentiam faciunt . Quorum
alterū est Ithicon ad naturam , & ad mores, &
ad omnem vitæ consuetudinem accommoda
tum. Alterum pitheticon quo perturbatur ani
mi: & concitantur, in quo uno regnat oratio.
Illud superius come, iucundum, ad beneullen
tiam conciliandam paratum. Hoc vehemens
incensum , incitatum, quo causæ cripiuntur,

RHETHORICA

Quod quum rapide fertur, sustineri nullo pa-
cto potest. Possunt & alia ratione affectus di-
stingui. In luctos, qui gaudium conciliant
dientis animo, ut in gratulatione. Et tristes,
quum iram, indignationem, aut misericordiam
mouemus. In affectum ratione seruandum, ut
ipsi videamus tales, quales cupimus auditores.
Nam ut Quintilianus ait, non incendit nisi
ignis, nec madescimus nisi humore, nec res vi-
la dat alteri colorem, quem ipsa non habet.
Idem Fabius refert se vidisse histriones, qui ad
huc flentes è spectaculo descendebant, tanto-
pere conati erant commouere populum.

De dispositione.

A bsoluta inuentione, tradendæ dispositio-
nē, elocutio, memoria, pronunciatio.
Membra orationis sic disponenda.
Primo loco exordium ponetur, secundo narra-
tio, tertio diuisio, quarto confirmatio, quinto
confutatio, sexto conclusio. Exigente tamen
causa ordinem hunc quandoque commuta-
mus. Probationes firmiores primo & ultimo
loco: aliæ medio proferendæ sunt. Naturalis
rerum ordo in compositione quoq; verbos
rum seruari debet: ut viros ac foeminas, diem

IOA: FORTII RING.

& noctem, ortum atque occasum dicas, non
sternas & viros, non noctem ac diem, non oc-
casum & exortum. Cauendum etiam ne decre-
icat oratio, & fortiori subiungatur aliquid ins-

Fortiora firmius: ut sacrilego fur, aut latroni petulans
séper præ Ut dispositio, ita & ordo duplex est. Naturas
porenda. lis, quo rem, ut gesta est, narramus, artificiosus,
quo naturalem ordinem consulto perturbas-
mus. Superior ille ad historicos & oratores:
hic ad poetas pertinet. Poetæ enim plerunt
que à mediis ordiuntur rebus. Sic Homerus
Odisseam à tempore, quo Ulysses erat in calis
plus insula auspicatur. Quæ vero præcesserant
quomodo ad Cyclopes, ad inferos venerat, in
insula Phæacum postea recitantur. Quemad-
modum instructio exercitus in aciem impera-
tori: ita hæc pars oratori summe necessaria est.
Etenim sicut illa in pugnando: sic in dicendo
disponitio facile victoriam parit. Quippe dis-
ponere aliud nihil est nisi argumenta suo
quæque loco collocare, & velut in aciem pro-
ducere.

De elocutione, memori-

ria, & actione.

Locutio tribus constat partibus, elegan-
 tia, compositione, dignitate. Elegantia
 sermonem purum ac latinum reddit, & ~~verba~~
 requirit propria, usitata, latina. Compositio
 continet ordinem, iuncturam, numerum. Ordi-
 nem, si sensus verborum claudatur, si diem &
 noctem dicamus, ortum & occasum, non con-
 tra. Iuncturam, si crebri vocalium concursus
 vitentur, qui vastam atque hiantem reddunt
 orationem. Numerum, si eundem multorum
 verborum exitum vitabimus, & longam vers-
 borum continuationē, quæ tum auditoris aus-
 res, tum spiritum orantis laedit. Dignitas con-
 stat exornationibus verborum ac sententias
 rum, quas alio loco describemus. Memoria du-
 plex est. Naturalis, vis quædam animi sedem
 habens in posteriore cerebri parte. Artificio-
 sa, quæ est eadem ipsa naturalis, præceptionis
 bus quibusdam firmata. Hæc constat locis &
 imaginibus. Loci sunt veluti tabulae, in quibus
 rerum simulachra collocantur, Quod genus,
 ædes, intercolumnia, anguli, parietes. Imagin-
 es sunt similitudines earum rerum, quas mes-
 minisse volumus, ut equus, leo, canis, domus.
 Quæ si ordine libeat ediscere, collocabimus
 in primo loco equum aliquem, in secundo leo-
 nem, in tertio canem, in quarto domum. Pari
 forma oratio in parteis aliquot diuidi ac per
 imaginum excogitationem edisci potest.

In. 4.
Rhetori-
ad He-
Cicero.

Memo-
ria.

IO A. FORTII RING.

Nam artificiosa memoria duplex est. Verbo-
rum, quum singulis dictiōnibus imaginem tri-
buimus. Rerum, quando res aliqua seu particu-
la orationis, vna duntaxat effigie signatur.

Pronun-
ciatio. Pronunciatio vel actio, est moderatio vocis,
vultus & gestus, cum gratia & venustate. Hæc
tria præstare debet. Ut, conciliet, persuadeat,
moueat: quibus natura non deest, verum cohæ-
ret, ut etiam delectet. Conciliatio commen-
datione morum, & orationis suavitate constat
& persuadendi vis, asseueratione: monendi ra-
tio, adfectibus. Ad actionem chironomia spe-
ctat, quæ plerumque negotium futuro exhibet
oratori.

~~RECORDED~~
Res. 5441 1/2 P.